Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cautela desistis. quando duo simul misceantur
amara conscientia in dulcedinem veritatis
atque illusiones et infestationes demonum
amplius ei non dominantur. Nos itaque super dictam in-
structionem secuti per singulos dies dominicas sal
et aqua simul miscendo benedicimus ut
hac aspersione fideles et habitacula fideli-
um contra spiritales nequicias muniantur.

De susceptione cineris.

Ecclesiastica instructio habet ut per singulos an-
nos in initio quadragesime quod caput ie-
iunii quod quarta dicitur feria quando ieiunium no-
vum suscipitur cinis consecratus capitibus fidelium in-
ponatur. scilicet ob recordationem mortalitatis nostre.
ut mortalis homo qui tunc ex habitu peniten-
tie et recordatione peccatorum suorum ad devo-
tionem compungitur per memoriam etiam conditionis
sue humilietur. propter quod ei dicitur: Memento
quia cinis es et in cinerem reverteris

De ramis palmarum et de frondibus benedicendis

Habet etiam ecclesiastica consuetudo
ut in dominica que proxima est ante sollempni-
tate paschale rami palmarum et frondes
arborum benedicantur et populo portandi distri-
buantur. in figuram eorum qui domino Ihesu eodem
die Hierosolimam ascendente cum ramis
palmarum et frondibus arborum virentibus
cantantes et laudantes occurrerunt. In
quo non solum nobis id quod illi tunc corporaliter fece-
runt corporaliter faciendum proponitur. sed et id po-
tius quod in illo et in isto corporali facto spirita-
liter imitandum significatur. Palma quidem sig-
num est victorie. Rami autem virentes bo-
na opera significant. Tunc igitur a populo cum ramis
palmarum et frondibus laudantes occurri-
mus quando ipsum mortis triumphatorem bonis
operibus et digna gratiarum actione laudamus.

De cereo qui in sabbato sancto benedicitur. Et de agnis qui benedicuntur in pascha.

Zosimus papa instituit cereum magnum
~~cereum magnum~~ in sabbato sancto pasche be-
nedici quem diaconus accepta benedic-
tione a sacerdote benedicit. Hic cereus
Christum designat. in cera humanitatem.
in igne divinitatem. Qui cathecuminos
ad baptismum procedit illuminans. sicut
olim columna ignis filios Israel mare ru-
brum transeuntes precessit. per ignem il-
luminans. et obumbrans per nubem. Sub
eadem figura iuxta consuetudinem antiquam
in die paschali in ecclesia romana agni
cerei benedicuntur et populo distribuuntur.

De signis quibus fideles ad ecclesiam convocantur

Signorum usus a veteri testamento assumptus
est ut tube cornee argentee adno
ductiles fieri precipiuntur. quibus multitudo
populi convocari debuisset. Ad similitu-
dinem harum tubarum signa ex metallo
eris in ecclesia facta sunt ad corda fidelium ex-
citanda et ut per ea signum detur quando debeant
in unum convenire. Vasa ista metallina o-
ra predicantium significant. Plectra ferrea
que intus tundunt ut sonum emittant
lingue sunt eorundem. Funis autem mensura vi-
te est et conversationis modus qui in scriptura
proponitur. Funis manu tenetur quando scriptura
opere adimpletur. Funem sursum sequitur qui duc-
tu scripture sacre ad bona elevatur. Funem
deorsum trahit qui eadem docente quan-
tum in malis prostratus iaceat agnoscit. Iste
aptus est populum dei in unum convocare. qui et re-
levatus opere exempla bonitatis osten-
dit. et inclinatus humanitate infirmita-
tem suam veraciter cognoscit. Signa que evan-
gelica durabiliora sunt et longius audiuntur
quam tube legis. quia vox veteris testamenti ad
Iudeos tantum insonuit. Sonus autem
evangelice predicationis in omnes gentes
ad fines orbis terrarum exiit et usque in fi-